

amicitias & magnam humanam vitæ sobriamque dulcedinē efficacissimum obiciendum censeo, illud solertius vtiliusque consilium quod est apud eundem Ciceronem: Eam nos in comparandis amicitiiis diligentiam adhibere, ne quando amare incipiamus, quem aliquando odisse possimus.

SOLON.

**A**D Biantis nomen identitate professionum, & Solonis admoneor, huius illud callidum factum & memorabile refertur. Cum inter Athenienses & Megarenses de dominio Salaminæ gravissimis præliis sæpè certatum esset, attentis vtrò citròque viribus capitale crimen Athenis esse cœperat, bellum amplius ob eam causam suadere: contigit vt adipiscendæ Insulæ consilium, Solon vnus ex tot milibus videret:angebatur animo vir & suæ Reip. & virtutis amicissimus, metuens ne aut vetitus sermo sibi, aut imperatum silentium patriæ noceret, repentinum tandem simulat furorem, dictisque factisque omnibus ad id quod animo conceperat mira arte compositis, habitu quinetiam corporis simillimus amenti, sese in publicū proripuit impune quodlibet ausurus.

m. iij.